



HIERONYMI
CARDANI,
 DE RERVM VARIETATE
 LIBER PRIMVS,
 De Vniuerso , & Partibus eius
 sensibilibus.

CAPVT PRIMVM.

Vniuersum , Cometa , Ventorum ratio.



NIVERSVM hoc , siue sit vnum, siue plura : Et si vnum, seu finitum , an infinitum : & si finitum , an aliquid extra se habeat, an nihil : & si quippiam extra se habet, an mobile, an immobile : sit quoque genitum, vel ingenitum : Et si plura , finita ne numero, an infinita : in libris de Arcanis æternitatis, cum iam dictum sit : quæque iam ad cælum syderaque pertinent , tum naturales ac consuetas mutationes quæ in aëre fiunt , in libris de subtilitate, demonstrata sint : reliquum est, vt de Cometis , quorum generationem solum prioribus libris tantum attigimus , sermonem compleamus. Simul dicturi etiam de sympathia antipathiaque ipsius Vniuersi: quæ plurima , si non omnia, saltem Regi cernuntur. Addeamus & de ventis, atque ordine ipsius Mundi, quæ sola restare videbantur. Igitur vt à manifestissimis sumam exordium , hoc solum attingens quod notissimum est atque conspicuum , vndecim tantum corporibus constat. Quod etsi plura sint , non tamen ad hunc librum pertinet , qui solum de sensibilibus tractat, de illis considerare. Sunt autem corpora hæc , primum quidem terra , atque cum ea potius quam circa eam aqua : inde circa hæc ambo ad cælum vsque , aër. Hunc ambit Lunæ cælum orbisve seu sphaera, post Mercurius, inde Venus, Sol, Mars, Iupiter, Saturnus, supremum cælum stellarum. An

Tom. III.

verò Mercurius sit supra Solem Venúsque? & an epicyclis atque eccentricis ferantur? An Sol ipse in medio consistat Mundi, terra circumuertatur? An autem multos per orbis, vni centro circumpositos? vt olim Calippus & Eudoxus, inde Auerroës, nuper Hieronymus Fracastorius Veronensis. An alius quippiam modus, his omnibus sit melior? An etiam inter ipsas erraticarum sphaeras aliquod sit corpus fluxile, dicere supercedeo: cum etiam quædam ad libros de Æternitatis arcanis pertineant. Similiter & de lactea via, abundè aliàs dictum est. Quid ergo superest amplius, quàm quod proposuimus exequamur?

Non sit cometes in elementari regione, quæ semper est inconstans : cometes autem diu manet, nec etiam descendit propter vapores, nec ascendit ob ignem : horum autem duorum alterum fieri necesse esset, si ignis esset ex vaporibus accensus : nec triplici illo motu moueretur semper, sed vt iacula, aut stellæ incensæ. Hoc autem alias demonstratum est, tum ex hoc quod tam ingens machina aded celeriter conuersa, quin dissiparetur, fieri non posset. Quod si dicas, stella non est ex inerrantibus, haud dubium est. Non enim tot variis motibus moueretur, adeoque celeriter : non erratica, cum nimis celeriter feratur, & aded rarè appareat. Sed neque, vt quidam existimant, ab ipsis planetis per sympathiam trahi possunt, quoniam non consistenter tam velociter rapti : nec motus illorum similis est motui planetæ, cum persæpè ab ipso ferè polo ad æquinoctij circulum transferantur. Itaque haud dubiè, nulla substantia propria constant, sed in cælo fiunt: neque vno solo, sed in singulis, quemadmodum & lactea via. Neque est id naturæ cælesti repugnans, vt luminum quædam reflexio fiat.

A

Capax